

sue instare. Quia fieri poterit, ut S<sup>tas</sup> V<sup>a</sup> habita vel temporis vel supplicantium ratione ad aliquos creandos inclinetur, visum est mihi<sup>1</sup> summis precibus exorare S<sup>tem</sup> V<sup>am</sup>, ut primo habeat<sup>2</sup> rationem et dignitatis, ne nimia multitudine vilescat, et oneris, ne nimis vos ipsam gravetis, deinde sui ipsius et status sui, et conetur ita satisfacere, quibus satisfaciendum est, ut una<sup>3</sup> S<sup>tas</sup> V<sup>a</sup> curet etiam rem<sup>4</sup> propriam; et inter paucos, qui promovendi<sup>5</sup> sint, aliquem de suis fidelibus, qui etiam ad hanc dignitatem sufficiens sit, hanorare.

Audio ill<sup>mum</sup> duces Mediolani instare, ut dixi, pro aliquibus. Si S<sup>tas</sup> V<sup>a</sup> deliberabit ei gratificari, conari debet dare ei unum qui et ei carus sit et S<sup>ti</sup> V<sup>e</sup> fidelis, sit ad tantum honorem ac dignitatem idoneus et ecclesie utilis futurus. Acerrimum iudicium vestrum, b[eatissime] p[ater], uno intuitu discernere potest inter homines, quod alter alteri prestat. Audeo etiam de me affirmare (quod sit sine arrogancia dictum), non longe me in huiusmodi iudiciis a veritate abduci. Rarissimi sunt hac etate viri prestantes, ut semper fuerunt. Ex his semper iudicavi esse rev<sup>mum</sup> patrem dominum episcopum Papiensem. Testis est mihi Deus, quod sentio dicere. Ingenium viri et industria et quedam nature dexteritas mirum in modum me semper oblectavit. Preter peritiam rerum et doctrinam singularem est bonus, prudens, fidelis, caritatis plenus, ornatus, celer ingenio, facilis ad inveniendum, que dicere oporteat et, que invenerit, eloquendum. Quam vero pauci et quam rari sint huiusmodi homines, optime novit V<sup>a</sup> Beat<sup>do</sup>. Pro quibus scribat excellentia ducis, ego<sup>6</sup> nescio. Omnes tamen, pro quibus veresimile est eum scribere, debere credo nosse. Omnes optimi sunt, neminem sperno, neminem contemno; sed conscientiam V<sup>e</sup> S<sup>tis</sup> in hoc testem<sup>7</sup> et iudicem invoco. Non dubito, quod dominationi sue gratissimus esset dominus Papiensis pro eoque supplicaret, si requireretur, non minus libenter, quam pro ceteris nec minus carum habebit, si fuerit promotus, quam alium quemcumque. Vidit preterea S<sup>tas</sup> V<sup>a</sup> malam temporum conditionem. Undique scandala parantur. Nescimus quem finem res sint habiturae. Notum est, quantum momenti<sup>8</sup> rebus pontificis maximi ad quamvis partem cardinales affere possint, quam co[n]ducat, tales habere cardinales qui et velint et sciant et possint principi suo fideliter servire. Si quid horum trium desit, manca res<sup>9</sup> est. Omnes rev<sup>mi</sup> patres presentes, sunt

<sup>1</sup> BACHMANN: in.

<sup>2</sup> BACHMANN: probabeat.

<sup>3</sup> BACHMANN: unam.

<sup>4</sup> BACHMANN: creationem.

<sup>5</sup> BACHMANN: primo vocandi.

<sup>6</sup> Manca presso BACHMANN.

<sup>7</sup> BACHMANN: testor.

<sup>8</sup> BACHMANN: momentum.

<sup>9</sup> BACHMANN: aes.